bonus simplicianus, tuli sibi pileum de capite, et eo inspiciente finxi me habere nauseam, et faciem rugosam feci, et caput meum a pileo, quem manu tenebam, averti, quasi detestans ritum Sarracenorum, et sputum contra linteum pileo circumligatum projeci, videre volens, quid tamen ad haec dicere vel facere vellet. Sarracenus autem (87A) per omnes angulos habitaculi circumspexit, et cum neminem vidisset, quem timeret, arepto proprio pileo et congeminato in ore sputo super signum sarracenicum projecit, et ligaturae maledixit et cum dextro pollice sinistrae suae signum crucis impressit, et locum signatae manus deosculatus est, et lachrymans multa loquebatur nobis, quae non intelleximus: hoc tamen optime intelligere potuimus, quod Christianus fuerat, et coactus abnegare fidem, et quod non erat Sarracenus, sed pauper Mamalucus. Comestione peracta mansimus in habitaculo nostro in umbra et quiete. Porro in pariete uno nostri habitaculi audivimus quendam laborantem cum ferro in opposita parte, quasi murum perfodere conaretur, de quo nulla nobis fuit cura, nec alicujus periculi suspicio. Tandem foramen fuit factum, per depositionem unius lapidis. Erant autem in alia parte mulieres sarracenae, quae foramen fecerant, ut peregrinos viderent, quibus aspicientibus quidam milites corridebant, et signis ac nutibus hoc, quod verbis non poterant, expediebant. Quod cum quidam frater minor, qui deputatus fuit per Guardianum circuire cameras peregrinorum, notasset, statim attulit cementum et foramen obstruxit, iurans per Deum, si Sarraceni hoc vidissent, omnes peregrinos atroci cruciatu tribulassent, quia sunt vehementissimi zelotypi, et ad zelotypiae vindictam simul sine ratione concurrunt. Satis enim lascivae videntur foeminae Sarracenorum esse. Nam quidam juvenes milites, dum supra domum deambularent et circumspicerent, viderunt in domo quadam tres foeminas stantes: quae signabant eis manu, ut ad eas descenderent. An hoc fecerint ex lascivia, vel ex dolo et malitia, quod magis credo: utrumque periculosum est; nam statutum hoc habent: si Christianus repertus fuerit, coire cum sarracena muliere, datur sibi optio, ut vel abneget suam fidem vel subeat mortem, nec medium ibi est. Interea hora horae successit et tempus transivit et nos sic stabamus, et ad

239

237

243

233

248

228

288

188

338

138

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;